



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis
Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et
Justitiae, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in
quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus
respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum
luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque
omnibus in utroque Foro ...

Pars I. De judiciis & judicialibus. Hoc est de Sententia & re judicata,
Executione, Attentatis, Judice, Notario, Advocatis, Procuratoribus,
Expensis, & aliis ad materiam judiciorum. Pars II. Relatio Romanæ Curiæ
forensis, ejusque Tribunalium, & Congregationum

**Luca, Giovanni Battista de
Coloniae Agrippinae, 1691**

Disc. XXIV. De probatione per rei aspectum, seu per evidentiam; Sive per
mappas, & tabulas geographicas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74090](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-74090)

Ideoque clarus videtur error cum solis generalitatibus juxta pragmaticum stylum procedere, cum potius ratiocinatae partes circa ponderationem circumstantiarum, in hoc præcipue videantur.

Contemporanea tamen debet esse qualitas; Nil enim refert ut quis post confessionem jam purè emissam, adjiciat qualitatem, cum tunc in nulla consideratione habeatur, dum tollere non valet effectum jam ex ea consumatum.

De confessione debiti facta in testamento, resolvenda in legatum revocabile, & quid ubi jura-
27 mentum accedat in materia crediti, & debiti par-
ticulariter agitur; ideoque ibi videndum est, tit. de
credito disc. 80.

Annotatio autem dignæ non sunt aliquæ ho-
diè receptæ, nimirum vulgares propositiones;
Putù ut confessio auctoris præjudicet heredi, vel
28 alteri successori dependenti, qui à confiteente suum
jus metiat; Quinimò etiam si de jure proprio, ac
independenti agat, quoties qualitatem habeat ha-
reditarium confiteens, eamque cum inventarii be-
neficio, ac redditione rationum non exuat, ut præ-
fertim in fideicommissaria materia, & in illa heredis
frequenter advertitur.

Super procuratoris, vel alterius administratoris
29 confessione, quæstio cadere solet, an præjudicet, si-
ve, an sit revocabilis, & quomodo; Atque regula est,
ut non præjudicet, sive quod revocari valeat etiam
non docto de errore, quoties mandatum speciale
ad confitendum non accedat; Nisi conjecturis, ac
vehementibus administris confessio suffulta fit; Ve-
rum desuper certa regulâ statu non potest, cum ex
facti qualitate, & circumstantiis totum pendeat,
ideoque in singulis casibus, diversum est, ac parti-
cularē judicium. *Mant. decif. 302. Vefr. & add. lib.
5. cap. penul. Buratt. decif. 374. 466. 551. & 566. de-
cif. 172. par. 11. rec. & sapius.*

In beneficialibus autem, unius Partis confessio,
30 veritatem non probat favore alterius, qui in ea tan-
tum suam fundet intentionem, quam in canonico,
& legitimo titulo, non autem in confessione collig-
tantis fundare debet; Benè tamen veritatem pro-
bat in accidentalibus pro tituli canonici justifica-
tione, vel eiusdem administris. *Geminian. cons. 38.
decif. 62. nu. 5. par. 10. rec.*

Eademque distinctione adhibetur, ac recepta est
in materia fideicommissaria, ut scilicet Partis con-
fessio apta non sit inducere fideicommissum, ubi
31 non adsit, minusque operari, ut sub eo cadant ea bo-
na, quæ cadere debere aliquid non constet; Vel
quod exinde tantum persona legitimato probata
fit; Benè tamen, aliis probationibus quamvis im-
perfectis, magnum præberet fomentum confessio in-
tercessat, sive pro interpretatione in ambiguo at-
tendenda est, sub tit. de fideicommissis plurius.

32 In iis quoque casibus, in quibus regulariter con-
fessio probat, atque constituent præjudicat; In eo fo-
lum attendenda est, super quo principaliter prodic-
erit, non autem in eo, quod incidenter, ac ad
alium effectum. *Surd. decif. 250. ubi Hodier.*

Et in summa, universa ista materia confessionis
in civilibus, (de quibus tantum agitur) facti po-
tius, quam juris censenda est, erroneè ex solis gene-
ralitatibus regulanda, cum reverè, ex prudenti, ac
recto, beneque regulato judicis arbitrio singulo-
rum casum circumstantia rem decidere debeant;

Potissimum vero, an verisimilitudinis, vel
inverisimilitudinis fomentum
accedit.

Card. de Luca de iudicis & judicialibus.

De probatione per rei aspectum, seu per
evidentiam; Sive per mappas, & tabu-
las geographicas.

S V M M A R I V M.

- 1 **P**robatio per evidentiam est magna.
- 2 **D**e praxi circa accessum iudicis super faciem lo-
ci, & in quibus materia iste accessus
præticeur.
- 3 **Q**uid in hoc gerendum sit per Indices probos, &
de inconvenientibus que de super praxis docet.
- 4 **D**ieta legalis qualis sit pro salario iudicis in hoc ac-
cessu.
- 5 **A**n officialis plura explicando negotia in eodem
itinere plures dietas, vel plura emolumenta exi-
gat.
- 6 **D**e styllo Congregationis Baronum super assimila-
tionem Castrorum.
- 7 **D**eclaratur conclusio de qua numer. 1. & quando
probatio per aspectum probet.
- 8 **D**e mappis geographicis quando, & quomodo pro-
bent, & de diversis mapparum speciebus.
- 9 **I**n quibus deferendum sit iudicio peritorum.
- 10 **D**e questionibus distantia, seu maioris vicinitatis,
aut comprehensoris loci in fine diocesis, vel
provincie.
- 11 **Q**uomodo finium questiones decidi debeant, & de
confiniis publicis, vel perpetuis.
- 12 **D**e eodem, & qua regula in dubio teneri de-
beat.

DISC. XXIV.

Magna quoque, ac certa reputatur ista species
probationis per evidentiam rei, ut pote tan-
quam species probationis infallibilis, non
subjecta falsitatibus, & alterationibus, quibus sub-
jacent aliae species, de quibus infra, dum rei verita-
tem oculis propriis Iudex inspicere potest. *Mant. decif. 79. Buratt. decif. 367. & 790. decif. 197. par. 8. & decif. 86. par. 9. rec. Ottob. dec. 62. Du-
nozett. decif. 655. decisione 105. par. 12. rec. dec. 7.*

Ideoque, ubi quæstio sit super iis, quæ ab evi-
dentiâ seu rei aspectu pendeant, ut præfertim con-
tingit in questionibus confinium vel servitum
aut retractum; Praxis est, ut per Judicem fiat ac-
cessus super faciem loci, cum Notario, aliisque mi-
nistris, sibi Partibus, earumque peritis, & defen-
soribus auditis, inspiciat quomodo facti veritas se
habeat; Ac propterea praxis est, ut hujusmodi ac-
cessus, qui utraque Parte vel una earum petente,
faciens est, decernatur pro certa die, & hora, ipsi
Partibus intimanda, ut super faciem loci se quoque
cum earum defensoribus, ac peritis, int ervenire vale-
ant, atque Judicem informare, sin minus aetius in-
validus reputatur; Potissimum quia ibidem testes in-
formati vel periti (quando ita subjecta materia ex-
igat) examinari solent; Ideoque necessaria pariter
est Partium citatio ad videndum eos iurate.

Bene verum quod, quandoque per probos, &
Dei timoratos Judices, mercaturam super iudicio
facere nolentes, gravando Partes gravibus expensis,
quas hujusmodi accessus, extra Civitatem, seu locum
differentia, importare solet, quād subiecta materia
ita patiatur, quod sc. probatio situationis, vel status
rei per testes, & scripturas, vel per mappas

geographicas, aliasque species probationis, suffi-
cienter probatus haberi potest, nimirum verò con-
ferret, ut Jūdex oculis propriis cerneret, sive saltem
unus eorum, quando agatur de causis vertentibus
in Tribunalibus Collegialib⁹, ut aliis referre posset,
ut in aliquibus gravibus causis vertentibus in Tri-
bunal Rote, vel in altero Cameræ, ac etiam in illo
Auditoris Cameræ pluries practicavi; Pisana tenu-
ta coram Burlemon⁹ & in aliis impress. post Paccichell.
de distantis dec. 13. 18. 24. & 36. Confueverunt ali-
qui jūdices, sumpta occasione alterius negotii, vel
devotionis, aut recreations in forma extrajudicia-
li, ad propriam instructionem, secum adhibitis, vel
non, personis peritis in arte, juxta subjecta mate-
ria qualitatem, habendo in manibus probationes
hinc inde jam factas, ex quibus de utriusque Partis
prætensionibus, ac motivis sufficienter instrui pos-
sent, locum differentem inspicere; Stylus quidem,
nimirum nobilis & commendabilis, ob ingentes
sumptus, quos hujusmodi accessus secum trahunt,
quando formiter, & publicè in forma jūdicii fiant,
dum ultra dietas jūdicis, & Notarii, aliorumque
ministrorum, ac etiam testium, vel peritorum, con-
ducere quoque oportet Advocatos, & Procurato-
res; Ideque pro frequentiori contingenti, citrā ne-
cessitatem, pro turpi lucro, convertendo jūdiciū
in telonium, demandari solet, sive affectari, ut una
Partium petat; Ideoque nimirum circumspēcte per
probos & Dei timoratos Jūdices, in hoc procedi
debet, q̄c solet, id non decernendo, nisi quando pre-
cisā necessitatē exigat, quia nempē testium, & scrip-
turarum probationes, vel tabulae seu mappæ geo-
graphicæ sufficientem informationem non præ-
beat, ob eorumdem testium vel peritorum, ipsarum
que mapparum contrarietatem, vel diversita-
tem.

Et licet hujusmodi inconvenientia, cessare vi-
deantur, quando, id, utraque Parte petente, ac in-
stante sequatur, ex regula quod volenti non sit in-
juria; Adhuc tamen circumspēcte procedendum
est, atque non nisi in vero casu subfidi, ut suprà
decernendum, Vel quia partium instantia; quæ ap-
parente spontanea seu voluntaria sit, reverā tamen
potius coacta dicenda venit, ex illa vī, quam nostri
dicunt interprætativam, dum Jūdices ostendente id
desiderare, Partes ad eius benevolentiam captan-
dam, id petunt; Vel quia Partibus id suggesterat ad
proprium turpe lucrum proprii caudicī & defen-
sores, quibus excoriatorum potius nomen vel at-
tributum congruit.

Et quod magis est, (ut verè mercaturæ seu ne-
gotiationis regule adhibeantur,) cum legum, seu
Doctōrum traditionibus, subtiliter procedi solet,
circa taxam dierē legalis statutæ in itinere viginti
milliarum, ita scilicet exigendo tot viaticæ seu di-
tas, quod ad dictam rationem loci, distantiæ impor-
tet, quamvis longè breviori tempore defacto acce-
sus & recessus sequatur apud Rovit. dec. 66. & super
pragm de Commissar. dec. 150. p. 6. rev. Ac etiam af-
fectando moras in loco super contemptib⁹ inci-
ditibus, quorum facilis notitia, etiam per absen-
tem haberi potest, ita notabile tempus serendo.

Et quod magis est, cum eisdem legalibus subti-
litatibus, affectari solet plurim negotiorum com-
plicatio, ut ita multiplicata obtineantur integra sli-
pendia, ex legulexis traditionibus quod officiali
plura officia vel munia exercenti vel impleti,
quam plura stipendia vel emolumenta congruunt,
Zach. de salary. quest. 11. Rot. dec. 150. par. 5. & dec.
10. par. 6. Rovit. pragm. 6. de commissar. pragm. 15.

de officiali. De Marin. resol. 312. lib. 1. tit. de iurisfd. disc.
85. in fine.

Atque in hoc præsertim, nimirum commendabili-
lis est frequens, & quotidianus stylus Congregationis
Baronum, per quam in exequutionem Con-
stitutionis Clementis Octavi contra Barones, de
qua in feudi materia particulariter actum est, tit.
de feud. disc. 73. cum plurib⁹ segg. venduntur feuda a-
liaque castra & bona jurisdictionalia, & non juridictionalia Baronum, ad instantiam creditorum,
non soluī ob celeritatem, dum spatioferē unius
vel aliquorum mensum tantum totum negotium
perficit, ac premium liberatur magis promptis, &
explicatis creditoribus tunc venientibus, cum idoneis
cautionibus de restituendo anterioribus & po-
terioribus, vel in defectum cautionis eiusque loco,
cum prætij investiture in loca montium; Tum etiam
quia si et venditio ad publicam hastam fiat,
prævia estimatione; Atamen ista simpliciter perito
committitur, absque eo quod Jūdices se ingerant,
cum reverā nulla id exigit necessitas vel partium
oportunitas, dum rei veritas recte comprobari po-
test cum libris & notulis administratorum, ita com-
binando fructus, seu redditus plurim annorum
juxta regulas Beneficialistarum in metiendo bene-
ficiorum valore; Ideoque non videtur ad quid de-
servient ipsorum Iudicium, & Advocatorum, alio-
rumque ministrorum, quasi in forma Tribunalis,
accessus ac mora, pro bonorum estimatione faci-
enda, nisi ad dictum effectum telonii & mercaturæ,
seu turpis lucri.

Quamvis autem in jure, vera sit initio insinua-
ta propositio, quod omnium major, minusque fal-
lax est ipsa species probationis per evidentiam rei;
Et tamen procedit in iis, que solo sensu corporeo,
à quo cumque percipiuntur; Secus autem in iis, in
quibus operatio intellectus intret, quod rei ve-
ritas diversa esse possit ab eo, quod ipsa facies, vel
apparentia ostendit; Tunc etenim, confert quidem
nimirum rei aspectus pro majori instructione animi,
atque ad melius dignoscendum, quemadprobatio-
nes hinc inde colluctantes, magis attendi debeant,
meliusque concludant, sed ipsa rei evidētia falla-
ciam continere potest; Ut frequens praxis me-
docuit, & præsertim (ex gr.) occasione quarundam
controversiarum, quæ in materia via publica in
Regalium sedē peracta sunt, quod scilicet cum dis-
putaretur, an via effet publica vel privata, ipse rei
aspectus, magnus, atque incontrovertibilem pro-
babat, publicitatē, per quamdam speciem viarum
consularium, seu militarium, quas basilicas vel stra-
tas magistras dicimus; Et tamen compertum est,
quod illum effectum faciebat frequens & continua-
tus usus curvum, & junctorum, aliorumque
instrumentorum pro conductione lignorum, alio-
rumque bonorum ad flumen, unde propterē ad
alias species probationum hinc inde, cum magno
confictu convolare oportuit in casu de quo subtit.
de Regal disc. 136. cum similibus casibus; Et præser-
tim quando, occasione retractuum, vel devolutio-
nis bonorum, que cum aliis liberis commixta seu
confusa fuerint, inspicere congruat, an adficium
quod de facto unitum sit, unam vel plures domos
contineat, Ottob. dec. 62. & tit. de emphiteut disc.
56.

Et quoniam in controversiis, confinium vel si-
tuationum ipsa rei evidētia nimirum ac principali-
ter attendenda venit; Hinc sequitur quod ubi ac-
cessus ad faciē loci non sit de facili practicabilis,
pro-

procedi soleat cum mappis geographicis, quae specialiter ipsius cause occasione facta sunt; Sive cum illis mappis, quae publica sunt, utpote confessae generaliter per geometras in libris ad id pro publica utilitate impressis, quibus deferendum esse juris regula videtur; Istam verò speciem probationis frequenter fallacem detegi praxis docet; Ac propterea cum distinctione procedendum est; Aut enim agitur de mappa seu planta particulari, facta in eo casu preciso, de quo est questione; Et tunc si est facta privato jure per aliquem peritum, ad instantiam unius Partium, quae illam in actis exhibeat, & tali casu, in nulla ratione habenda venit, altera Parte opponente, cum in effectu sit privata arrestatio illius periti, qui eam confecit; Aut verò est publica & judicialis, facta scilicet à perito, qui concorditer, & de consensu Partium, vel ex officio deputatus fuerit per Judicem, sive ab illo tertio perito, qui discordantibus plantis confessis per peritos hinc inde nominatos, pariter à Judice sit deputatus, adeo ut facta sit Partibus citatis, & auditis; Et tunc ei defertur, Bich. dec. 169. num. 24. cum aliis per add. ad Buratt. dec. 367. ubiconcordantes. Nisi doceatur de erroribus, iuxta illas generalitates, que in quibuscumque peritorum relationibus habitent infra super hac specie probationis per peritos; Unde dici potest probatio fallax ac subjecta illis exceptionibus quibus alia species de quibus infra, subjacent; Potissimum verò ubi agatur de planta, seu delineatione alicuius magni territorii ad effectum confinium, sive de illa pradiorum rusticorum, ita ut practicari non valeat ille modulus elevatus, qui ad oculum statum, vel situationem rei magis ostendit, ut practicari potest in dominibus, aliquique pradiis urbanis, cum isto casu facilius plantæ concordent, apud eosdem de quibus supra.

Ubri verò agatur de dicta altera specie mapparum geographicarum, quae non pro casibus particularibus, sed generaliter ad publicam commoditatem, vel utilitatem à geometris professoribus confessae sunt, atque in voluminibus vel in chartis impressis, iuxta adefrequentē usum, quae hodie habemus; Et tunc, licet regula videatur, ut eis deferendum sit apud proxime allegatos. Adhuc tamen huic regula non ita simpliciter deferendum venit, sed circumstet, ac mature procedendum est, cum indies fallacia in eis detegatur, ubi præsumt controvergia sit de aliquo loco, qui sit in extremitatibus seu confinibus plurium Regnum, seu principiatuum, aut provinciarum, vel Mundi partium, adeo ut super hac situatione sit principalis questione, sive ab ea principaliter pendeat id, quod est in lice, cum dicta conclusio recipienda veniat, quando situatio deducatur incidenter, illaque sit cum circundatione undique, adeo ut non cadat questione, quae cadit in locis existentibus in extremitatibus, iuxta distinctionem, quam (ex gr.) habemus in questionibus, que in Curia frequentes habentur inter Diaecsanos, & illos Prelatos inferiores qui jurisdictionem quasi Episcopalem exercent in aliquo loco, de quo sit questione, an existat intra fines illius diaecesis, cuius Episcopus pretendat exercere legem diaecsanam, ac jurisdictionem, saltim à S. Concilio Tridentino delegatam.

Si enim, ex eisdem mappis incontinenti constet, quod ille locus sit undique circumclusus, ab ea diaecesi, adeo ut cum aliis diaecilibus non confinet; Et tunc fundata dicuntur intentio Episcopi, donec Prelatus inferior per Apostolicum privilegium, vel per immemorabilem probet territorium separatum cum qualitate nullius; Ubi verò locus sit in confi-

nibus, vel extremitatibus plurium diaecesis, adeo ut vigeat incertitudo seu possibilis existentia tam intra fines unius, quam alterius diaecesis; Et tunc punctus est sub questione, quae diversam proxim habere consuevit; Quandoque enim processum est cum ea opinione, quod alii Episcopo le non opponente, ac non existente in causa, fundata sit intentio illius, qui est in causa ex ea ratione quod ob generalem totius Orbis divisionem in diaecesis sub Episcopis, quilibet locus presupponi debet situs intra aliquam diaecesim; Aliquando verò processum fuit cum diversa opinione, quod scilicet Episcopo actori incumbat onus probandi id quod est suæ intentionis fundamentum, ita que probatio adesse non dicitur ubi sit presumpta tantum, atque contraria habeat possibilitem, ideoque intrat regula, quod Reo sufficit vincere per non jus, vel non probationem Actoris, unde demandatum fuerit quod deberet confici plantastis de jurisd. disc. 11. & seqq. & in supplemento.

Sed si Actor hujusmodi mapparum afferat situationem loci in una vel in altera diaecesi, sive in uno vel in altero principatu, idque sit in questione, pariter ei non defertur, sed intrat conclusio de qua infra in peritorum materia, quod scilicet eis defertur in his, quænodi facti sunt, atque ipsorum peritiam concernunt, non autem in aliis, in quibus Judicis partes potius aspiciunt, atque sine extra coram armis seu peritiam, cum in his pro quotidiana praxi de errore convinci soleant. Ottob. dec. 205. & infra disc. 33. agendo de relatione peritorum.

Prout in questionibus, quae habenter super vicinitatem seu comprehensione in aliquo districtu, iuxta questiones, quae in Curia haberi solent circa comprehensionem sub districtu Urbis, quoniam si (ex gr.) locus inspicatur positus inter Urbem & alterum locum remotiorem, quemjam firmatum sit esse intra districtum, tunc dicitur comprehensionis probata per rei evidentiam, quoniam si est intra districtum locus, qui in remotiori situ existat, multo magis est ille, qui est in situ citeriori ac proximiiori, nisi allegetur error in ipsa situatione; Sed si defumi pretendatur probatio comprehensionis ex mensura, quae resultat ab eadem mappa continente scalam geometricam cum quæ geometriae professores prætendunt scire distancias, sive quod ipsi Geometri in eorum tabulis (ut facere solent) adjiciant lineas denotantes, ut id quod intra lineam est, dicatur intra districtum vel provinciam, secus autem quod extra; Et tunc eis non defertur quando de hoc principaliter agatur, quoniam id non pendet ab eorum arte vel peritiam, cum similibus professori qualitate.

Posita verò naturalis situationis veritate, adeo ut ita firmatum sit factum, confinium autem determinatio pendeat ab iis quæ consistunt in operazione intellectus, an scilicet controversa pars territorii ad unam, vel alteram Civitatem vel provinciam respectivè pertineat; Et tunc id non pertinet ad peritos, & Geometras, sed ad Judicem, qui id judicare debet, ex probationibus hinc inde factis; Et quando istæ concludant, curandum non est de illis argumentis, quae desuper haberi solent; Quando verò non concludant, tunc recurrentum venit ad juris presumptiones & argumenta, quæ præsertim deduci solent ex illis confinibus, qui dicuntur publici, & naturales, ut (ex gr.) sunt Flumina, Montes seu eorum cacumina; Via Regia, seu consulares, & similia; Quæ tamen sunt argumenta redolentia simplicem juris presumptionem elidibilem non solum per expressam probationem, sed etiam per con-

trarias fortiores probationes pro qualitate facti, cuius potius, quam juris est ista quæstio, ideoque certam non habet regulam.

Atque in quadam facti contingentia, seu quæstione confinium inter duo loca dicebam, quod ubi probationibus hinc inde invicem colluctantibus vel se destruentibus, res omnino ambigua sit; præsumptio esse videtur pro pertinencia territorii intermedii æqualiter pro mensura populi utrobique viventis pro rata, seu cum debita proportione, non quod id perfectè concludant, sed ad effectum inducendi præsumptionem, quæ coadjuvet probationes illius, cui ipsa assistat, ac debilitet probationes alterius cui resistat.

De probatione per juramentum; Et de diversis juramenti speciebus.

S V M M A R I V M.

- 1 De magna, & operatione juramenti, & de immutatione morum super eo.
- 2 Quare antiquitus tanta virtus, & operatio ei tributa sit.
- 3 Quod hodie transferit in quandam consuetudinem; ideoque non adeo ei deferendum.
- 4 Quomodo hac operatio debeat hodie regulari.
- 5 De pluribus juramenti speciebus.
- 6 De juramento litiis decisivo seu purgativo & de eius antiqua operatione.
- 7 Quid hodie dicendum sit, & an illud sit in usu in criminalibus.
- 8 Quid in civilibus in quibus dicitur juramentum partiti, aut jura, aut iuro.
- 9 De juramento tertii quod rem non habeat, neque dolo defterit possidere.
- 10 De juramento suppletorio.
- 11 Quando istud juramentum facilius admittatur.
- 12 De juramento prestando per creditorem immisum in salviano super notula fructuum.
- 13 De juramento in item, quando, & quomodo illius sit locus.
- 14 De juramento confirmativo contractuum altiarumq; dispositionum.
- 15 De eodem & quas operationes faciat.
- 16 De juramento calunnie.
- 17 De eodem, & an eius omissione causet iudicii, & actionum nullitatem.
- 18 De juramento fidei, seu assurcationis.
- 19 De juramento prestando in susceptione munerum, & officiorum.
- 20 De juramento prestando per administratores, vel Appaltatores rerum fiscalium.
- 21 De aliis ad materiam juramenti.

D I S C . XXV.

IN utroque jure, civili, & canonico magis vero in hoc posteriori, magna est vis, ac operatio juramenti; Majore inquit illam facit antiquorum Canonistarum, & Moralium sensus, vel pietas, adeo ut plura desuper habeantur, non parva volumina, quæ ab uno, ac altero scriptorum genere desuper composita sint, pluresque habeantur quæstiones, inter utriusque fori ecclesiastici, & secularis, vel respectivæ interni, & externi professores.

Verum (ut alibi plures advertitur) tit. de alienat.

& contrac. disc. 260. & tit. de cred. disc. 116. & alibi. ob immutata tempora, immutatosque mores, de equivoco forte Moderni redarguendi videntur, sub antiquorum fide, simpliciter ac indefinitè eadem operationes admittendo; Quamvis etenim apud Deum, omni tempore damnatus sit, ac peccaminosus perjurii reatus, quando scienter, ac dolosè sequatur; Attamen, morum, ac temporum diversitas, magnam desuper induxit immutationem, unde propterea, ex regula juris cessantis cause, sive cessantis rationis, quamplures effectus pro meo iudicio cessare videntur, ideoq; erroneum est, cum antiquiorū traditionibus non reflectendo ad casū circumstantias generaliter ac indefinitè procedere.

Antiquiori etenim tempore, cuius moribus attentis, tam leges, & Canones, quam primi Interpretes loquuntur sunt, ad juramenti interpositionem, nonnisi raro, & ex magna causa, prævia consilii maturitate, ac effectum exinde resultantium certioratione, devenerebatur; Tum ob graves penas corporales, quibus de perjurio convictus subjacebat, & presertim, juxta aliquarum regionum mores ilam amputations manus dexteræ, eod. disc. 116. Tum etiam ob magnam infamiam notam, quam non quidem juris tantum, ac idealiter, ut hodie incurri Moderni tradunt, sed defacto in hominum, ac populorum opinione; Unde propterea ratus erat huic modi reatus incursus, magnaque de consequenti rationabiliter erant juramenti, ita solemniter, ac mature præstiti operations.

Hoc vero, ob niuum frequentem illius usum, id in abusum transiisse recte dici potest, dum in quolibet levi actu, pro Notariorum styllo, vel formulario, sive pro clausulis apponi solitis, illud interponitur, adeo ut ipsi jurantes, neque sciant, neque cogitent, quid agant, unde propterea, neque peccare credunt, nullaque de facto infamia, vel turpitudinis nota incurritur; Et per consequens recte intrare videtur præstatum argumentum à cessante causa seu ratione; Non quidem, ut omnino jurandii religio contemni valeat, vel quod sæculari potestati concedendum sit illi directè derogare, vel dispensare; cum ea, quæ genericè desuper in iure presertim canonico statuta sunt, utpote ratione peccati, ac reatus apud Deum disposita, etiam hodie, omnique tempore vigent; Sed ut ad huiusmodi temporum, ac morum differentiam reflectendum sit pro congrua applicatione.

Nimium etenim improbabile videtur pro reatu, etiam ad effectus civiles, culpabiles ac punibiles illos reddere, qui nunquam peccare, vel delinquere cogitarunt; Ac propterea, pro facti qualitate, huiusmodi operationum applicatio regularia videtur, inspecta scilicet principaliter earum ratione (ut homines, tanquam animalia rationalia decet) non autem, quocumque rationis usu, vel discursu negligendo, brutaliore, cum solis predecessorum vestigiis procedere, illaque insequi, non reflectendo, quod ipsi attenta suorum temporum conditione, atque huiusmodi operatione, vel ratione vigente, hecne huiusmodi semitas calcarent, quas hodie non nisi ad limites earum causa, vel rationis simpliciter calcare erroneum est, ac irrationalib; infra disc. 35. & in relatione Curia ubi occasione agendi de Rotas, agitur de modo judicandi disc. 32.

Plures itaque juramenti species in jure habentur; Sive plures sunt causæ, vel occasiones, ob quas juramentum, quod idem ac unicum est, præstari solet, ideoque illud diversa recipit vocabula; Aliud enim est juramentum, quod decisivum dicitur; Aliud vero quod suppletivum; Aliud quod confirmativum.